DE LARUM PICTURIS POMPEIANIS.

Cum Pompeiis commorarer operae pretium facturus mihi videbar Larum picturas ab H. Iordano in commentatione de Larum imaginibus atque cultu (Ann. 1862 p. 300 sqq.) descriptas retractare. Nam cum in descriptionibus praecipue earum imaginum quas ipse non vidit haud pauca incerta mihi viderentur, tum in explicandis eis pleraque rectius statui posse intellegebam. Nec iudicio falsus sum. Contigit enim mihi ut novum harum imaginum genus reperirem, quod Iordanus etsi duo eius exempla elencho suo inseruit tamen non agnovit. Priusquam igitur de hac re disputem, primum quae Iordanus in describendis imaginibus omisit aut erravit adnotabo, deinde novas quae aut fugerunt eum aut postea repertae sunt imagines addam.

A Murus in quo Lares picti sunt fastigatus est aditumque ab omni parte liberum habet. Tum quattuor illi homines qui sacra faciunt minores sunt Laribus, eorumque ei saltem qui a d. arae adstant coronati videntur. Lares ipsi altera manu non pateram sed situlam tenent, altera rhyta quae dinoscuntur tollunt. Inter Larem autem sinistrum et togatos minor etiam his figura conparet, quem tibicinem fuisse manus ad modum eius qui tibias inflat sublatae fidem faciunt. Supra mediam imaginem tabella quae dicitur votiva picta est, cui titulus numquam inscriptus fuisse videtur. Infra imaginem anguis pictus est.

B Omnino deleta est. Ceterum dubito num omnino haec Larum imaginibus adnumerari possit.

C Non extat in via Augustalium sed in via qua illa continuatur quaeque *vicolo della marina* dicitur. Lares s. situlas gestasse videntur. Sacrificii autem apparatus non plane evanuit, cum togatus quidem ita

appareat ut arae eum adstare cornuque copiae tenere videas. Infra duo angues picti sunt.

D Praeter Lares quorum sinister rhyton et situlam tenuisse videtur dextri nihil nisi crura et pedes supersunt duorum hominum reliquiae in media tabula conparent , lacuna autem imago reliqua absorpta est. Infra duo angues arae adlabuntur.

F Vide infra.

G Iam Avellini tempore sola sinistra pars extabat: hodie imago fere tota consumpta est. Lares in loco editiore fuisse videntur. Volcani nihil nisi umbra superest: dinoscitur autem altae staturae tunicaque ita vestitus fuisse ut dextra pectoris pars pateret.

H In posti domus non legitur n. 50 quem numerum in tota via frustra quaeris sed 31. Sub imagine vides aram duobus anguibus circumdatam.

K Extat etiam nunc. Mazoisius tunicatum omisit a sinistra arae adstantem, quem etsi pars superior eius deleta est pro tibicine habere non vereor. Similiter Lar sinister media parte truncatus est. Rerum culinariarum praeter anguillam in veru inassatam et pernam nihil superest.

L Valde deleticia est. Sinister Lar omnino evanuit, eorum autem quos Avellinus camillos dicit maior togatus est qui sacrum facit, alter tibicen esse videtur.

M Nihil aliud de imagine prorsus evanida dicere possis , quam eam olim more solito in duas partes divisam fuisse quarum inferiorem anguibus destinatam fuisse consentaneum est.

N Brunnius et ego frustra quaesivimus.

O Vide infra.

Iam novae imagines hae sunt:

Q In culina eius domus quam *casa dell' accademia di musica* dicunt lares quidem ipsi evanuerunt,

sed togatus superest solito habitu insignis in ara cui duo angues adlabuntur sacrificans. Lares in loco editiore fuisse videntur. Ante imaginem ara latericia posita est.

R In culina domus quae in vico Mercurii a sinistra secunda est ara parieti adposita est. Supra eam lararium quod nunc dicitur extat, in cuius fundo templum pictum est in eoque lares rhyta et situlas tenentes. In utroque latere cum aris suis singuli angues conparent.

S In culina domus quae *casa di Apollo* nominatur lararium habes in quo togatus pictus est qui sacrificat. Extra id a dextra et a sinistra singuli lares cum rhytis et situlis conparent. Infra lararium anguis pictus est cum ara cui fructus (pinea nux et similia) inpositi sunt. Ante parietem ara ex lapide Tiburtino collocata est.

T In ea parte urbis quae Aprili mense huius anni effodiebatur praeter alias Larum imagines deinceps proferendas pictura in culina domus cuiusdam reperta est simillima ei quam Herculanenses ediderunt (*E*). In media tabula arae a d. adstat togatus qui dextra super aram pateram sinistra cornu copiae tenet. Sequitur eum puer tunicatus dextra verbenas sinistra lancem ferens. A sinistra arae adstat tibicen pede sinistro in scabello posito, quode cf. Iordan. p. 315. Deinde etiam porcellus distinguitur, sed popae praeter pedem omnia deleta sunt. Perinde Lar qui sequebatur omnino evanuit. Alter rhyton et situlam gestat. Infra Larum imaginem a dextra anguis arae admovetur , a sinistra res culinariae pictae sunt, ut anguilla in veru inassata frusta carnis et similia.

V In culina domus quae a tergo domus ante commemoratae sita est solita larum imago extat : scilicet inter Lares togatus cornu copiae insignis iuxta aram.

Quae columnis pictis ambiuntur. Infra angues duo alteri arae adlabuntur ita ut ea quae ei inposita sint comedant.

X In culina domus contiguae Brunnio et me praesentibus effossa Larum imago admodum deleta reperta est , cum unus tantum anguis unusque Lar supersit , qui rhyton et situlam tenens in anguis flexibus stat, sed ita ut eum non tangat.

Reservavi eas imagines quibus novum genus efficitur. Nam eis quae enumeratae sunt aut Lares soli aut cum Laribus togatus ille capite velato et cornu copiae insignis exhibetur. Iam in imaginibus novi generis, quorum elenchum subieci, togati loco femina sacrum facit, eaeque omnes non in culinis sed in pistrinis domuum extant.

α (=*F* Iord.) Hanc imaginem Iordanus sic descripsit: « In medio ara inter duas sive lauri sive myrti vel olivae ramos conspicitur. Togatus capite velato dextra pateram porrigit, laeva quid gestaverit non dispexi: pone eum bestiae vestigia nimirum, cornua frontem pedes iuvenci videre mihi visus sum. A sinistra accedit iuvenis coronatus nudus chlamyde super humerum volitante. Sinistra thyrsum super humerum portat dextra uvam. Lares in utroque latere coronati solito habitu rhyta et pateras gerentes conspiciuntur ». At non togatus sed femina arae adstat, laeva autem manu longum scipionem sive sceptrum gerit. Deinde bestiae pone aram si omnia lineamenta ut potes sequeris, eum non iuvencum sed asinum esse apparet.

β (=*O* Iord.) Quam imaginem cum Iordanus non viderit sed Schulzii in *Monumenti dell' Inst.* 3, 6 delineationem non omni ex parte accuratam secutus sit, ipse denuo descripsi. In media igitur pictura arae adstat femina capite velato corona florea sceptro insignis ,

quae dextra pateram tenet. Pone aram est asinus a cuius collo tintinnabulum pendet, ab utraque parte Lares cum rhytis et pateris pilis quadratis incumbentes conspiciuntur. Sinistram imaginis partem claudit dea quaedam corona murali insignis, quae d. frondem virentem, s. gubernaculum et sceptrum tenet. Iuxta eam basi inpositus est Cupido vitta et bulla ornatus [1]. Infra pictus est deus fluvii [2] recumbens, superque eum anguis arae adlabens.

γ De hac imagine Fiorellius *Giornale degli scavi* 1862 n. 13 p. 23 sic disputat: « Nel muro vi sta incavato un larario con le immagini dei Lares e nel fondo della nicchia un sacrifizio compiuto dal sacerdote innanzi all'ara, assistito dal servo addetto alla cucina, il quale in abito succinto gli reca le offerte. Vi è aggiunto a lato un asino, che ne ricorda il culto speciale professato a questo animale dai pistores ed i sacrifizi Fornacali deae (Ovid. fast. VI 314), fatti ad fornacem quae in pistrinis erat (Festus p. 95 s. v. fornac. cf. Plinius H. N. XVIII 2); sotto alla nicchia è un serpente, di mezzo ad uno spiedo cui sono infilzati molti pezzi di carne e ad un grosso presciutto o testa di majale, che non bene si distingue ». Domus in qua haec pictura extat est illa quae a Sirico nomen accepit. Lararium multis maculis diversi coloris ornatum est, quae quandam foliorum hederaceorum similitudinem habent [3]. Fundi autem imaginem Fiorellius non recte explicavit. Arae enim a d. adstat femina corona florea ornata, quae s. pateram tenet, d. aliquid flammis inicere videtur. A s. Volcanus conspicitur pileo insignis, tu-

[1] Hanc deam Venerem Pompeianam esse vidit Gonzius *Archaeol. Zeit.* 1861 p. 184.

[2] Sarni ut recte Schulzius iudicat. Ante parietem enim vas lapideum in quod aqua Sarni per formam inmittebatur positum est.

[3] Cf. *G* Iord. p. 316.

nica autem ad genua demissa amictus ita ut dextra pectoris pars pateat. Dextra forcipem, sinistra malleum tenet [1]. In dextro lararii latere asinus conspicitur, cuius corpus vittis sive coronis ornatum est. Sinistrum latus non habet imaginem. Extra lararium ab utraque parte Lares qui rhyta et pateras tenent picti sunt.

δ In pistrino domus quae e regione eius in qua pictura X extat sita est lararium conspicitur et ipsum maculis illis exornatum. Ab utraque parte Lares fuisse videntur. Infra lararium fastigium est in quo gallus et sub eo pavo pictus est, fastigio autem altera imago subiecta est in cuius medio femina floribus coronata arae adstat, cui ab utraque parte singuli angues admoventur.

Nunc quaerendum erit quae sit femina illa quam, cum a Laribus proceritate non superetur, ipsis dignitate non esse minorem neminem fugiat. Nec difficile est inventu: sceptrum enim et patera, velumque quo caput eius opertum est (α, β), eam Vestam esse probant. Rem conficit comes eius asinus, quo molarum et pistrinorum dea eiusque festus dies Vestalia [2] aperte indigitantur. Neque enim de dea Fornace licet cogitare, cui asellus numquam sacer fuit: solum in δ [3] non sine probabilitate quis eam quaerat, etsi ne hic quidem eam repraesentari consensu reliquarum imaginum probari videtur. Contra Vestam comitatur asellus etiam in imagine illa duodecim deorum Pompeiana quam E. Ger-

[1] Eodem plane habitu idem deus in pictura duodecim deorum Pompeiana effictus est. Cf. Ann. inst. 1850 tav. d'agg. K. De amictu cf. etiam *G* supra.

[2] Cuius festi diei lepidam picturam Pompeianam habes in Mus. Borb. VI 51 b (Gerhard. *Ant. Bildw.* n. 62, 3). Cf. O. Iahn *Archaeol. Zeit.* 1854 p. 192.

[3] Quod nec in *C* nec in *D* deae caput velatum est, sane mirum; sed et in pictura duodecim deorum iam supra commemorata et mox denuo adhibenda caput eius simpliciter corona ornatum est.

hardus post Gellium Annal. 1850: tav. d' agg. K accuratius edidit. Talis igitur deae illius repraesentationis, cuius exemplum a se editum Gerhardus pro unico habuit (cf. l. c. p. 215), tria alia exempla (α, β, γ) recuperavimus. Quibus ne duo alia monumenta in hanc sententiam explicata adnumerentur cavendum est. In conventu enim Instituti nostri die Februarii 27 huius anni de gemma disputatum est, cui dea cum duobus asinis insculpta erat. Quam H. Brunnius Vestam esse iudicavit conlata postea in actis conventus illius (Bullett. 1863 p. 35) pictura in androne circi Caracallae reperta et edita in libro qui inscribitur: « Descrizione dei circhi particolarmente di quello di Caracalla, opera postuma di G. L. Bianconi, pubblicata da C. Fea » tab. XVI. In gemma igitur illa, quam ut hic cum aliis Italicorum numinum monumentis publici iuris faciam V. de Vit v. cl. ectypi possessor liberaliter permisit, dea sedet in solio [1], corona e qua vittae vel lemnisci dependent insignis: d. sceptrum, s. pateram tenet, ab utroque latere singuli asini sive potius muli stant capite ad deae gremium inclinato. Quid bestiae faciant ostendit pictura illa in qua dea diademate ornata item in solio sedet ab utraque parte binis mulis cincta. In gremio autem deae pabulum stratum est, quo bestiae duae quas dea manibus palpat reliquis expectantibus pascuntur. Hanc vero deam non Vestam pistrinorum deam sed stabulorum deam Eponam esse, quam in circo coli non miramur, nemo semel monitus negabit [2], eademque dea in gemma efficta est, in similitudinem quidem quandam

[1] Falso in Bullett. l. c. dictum est, deae caput calatho et velo operiri.

[2] Ceterum postea vidi iam alios picturam illam in hanc sententiam interpretatos esse. Cf. C. O. Müller *Handbuch*, 404, 3. Adservatur autem gemma illa Adriae in museo Bocchi.

Vestae, sed ita ut Eponam non exuat [1]. Iam ut ad imagines Pompeianas revertamur, ne id offendas quod haec dea Laribus sociatur memineris velim, has imagines omnes in pistrinis extare. Cui rei apte congruit observatio, quam Fiorellio v. cl. debeo, qui ante Larum imagines in pistrinis fere semper inversam metam molarem cum domus effoderentur repertam esse testabatur. Nimirum haec ad arae usum ipsa inversione accommodata fuit in eaque deae sub cuius tutela pistrinum fuit laribusque domesticis sacra fiebant. Qua re asini pone aram in α,β positio commode explicatur, quippe quae eadem sit qua asini molam circumagentes in monumentis veterum effingi soleant.

Quae cum ita sint, non iam facile credo Iordano (cf. p. 332, 335) concedetur, in his imaginibus eam figuram quae medium locum occupet Laribus sacrificium offerre. Quod ne statuamus iam Larum gestus suadet qui et ipsi libant: vetamur vero si ad dignitatem eorum qui sacrificant respicimus. Nam nec togatus ille, cum Lares staturae altitudine fere semper aequiparet [2], eis inferior esse potest. Iam vero Iordanum ipsum ab hac sententia recessurum fuisse puto, si genium illum non pro genio aliquo loci hoc est sive domus sive culinae =haec Iordani verba sunt p. 334—habuisset. Est enim hic genius non unus ex illis millibus multis in quorum turba Iordanus frustra eum quaesivit: sed est ipse

[1] Etiam eo quod Eponam semper plures uno asini vel muli comitantur apte diversitas stabulorum deae a Vesta indicatur. In transcursu moneo Vestam illam Pompeianam dextra non pomum aut globum, ut Gerhardi auctor voluit, sed pateram tenere.

[2] Contra reliqui qui sacrificio praesto sunt, tibicines popae camilli, ut homines Laribus et Genio staturae altitudine cedunt. Cf. etiam *A* p. 313 Iord., in qua pictura homines illi togati Laribus aliquanto minores sunt.

Genius nec diversus ille ut statim dicam quod sentiam a Lare familiari, cuius singulare nomen cum eadem fere aetate Lares pluraliter dicantur [1] sacrorum Romanorum interpretes tantum exagitavit. Quo posito Grani Flacci apud Censorinum sententiam eundem esse Genium et Larem recte possumus accipere, cum in eo vis eius posita sit, quod Larem non Lares Genium non Genios dicat [2]. Talem igitur fere qualem in imaginibus Pompeianis videmus Plautus Larem familiarem, qui partes prologi in Aulularia agit, animo informavit. Nec alii genio lectum illum genialem in atrio positum fuisse duorum anguium in multis huiusmodi imaginibus praesentia fidem facit. Quorum unum marem alteram feminam esse a pictoribus maiori maris crista et barba aut omissa alte-

[1] Iordani verba quae huc pertinent adscribere iuvat: « cum apud Naevium, inquit, Plautum Catonem viales quidem et compitales dei numero plurali (utpote gemini) vocitentur, contra cui focus sacer est cuique coronae dantur, is singulari numero dicatur Lar familiaris, aevo Augusti picturae Pompeianae binos exhibent Lares familiares : nam bini Lares colebantur Augusti. Sed haec fortasse nimis dubia videbuntur esse ». Quae non dubia sunt sed aperte falsa. Plautus quidem Lares familiares numquam dicit, sed singulari semper numero utitur aut Larem aut Larem familiarem aut Larem patrem appellans. Idem cadit in Catonem. Sed iam Ennius plurali numero utitur de deis domesticis ann. 163: « vosque Lares tectum, nomen qui funditus curant ». Deinde Varro ap. Non. p. 531: » in foco Larum familiarium». Rursus Sallustius Cat. 21: « nobis Larem familiarem nusquam ullum esse ». At Cicero pro domo 108: « familiares meos Lares »; pro Quinctio 85: « domino a familia sua manus allatas esse ante suos Lares familiares ». In avito cultu describendo Tibullus 1, 10, 15 seqq. pluralem usurpat. Hor. Carm. 4,5,34: « Laribus tuum miscet numen » id est genii domestici loco. Omnia haec testimonia antiquiora sunt Larum Augustorum religione. Iam idem Horatius aliique etiam singulari utuntur eiusdemque usus promiscui etiam post Augustum exempla multa in promptu sunt.

[2] Quo veterum testimonio fretus Hertzberg: de diis patriis Romanorum p. 23 seqq. Lares familiares cum genio domini vel patrisfamilias cultu coniunctos fuisse narret, frustra quaesivi. Ceterum genetivo « domini » aut « patrisfamilias » contra veterum theologorum usum addito genii illius natura angustioribus finibus circumscribitur.

rius barba clare expressum est. Quod si conferuntur ea quae de Gracchorum patre Cic. de div. 1, 36 [1] et Plut. Ti. Gracch. 1, de D. Laelio Iulius Obsequens 58 [2] memoriae prodiderunt, hos angues non genios quosdam loci sed famulos esse intelleges ipsius illius Genii qui generis parens [3] quique familiae conservator ac tutor est.

Neque igitur Vestam neque Genium Laribus sacrificare consentaneum est. Ex ipsa enim et Vestae et Genii natura sacrificii explicatio petenda est. Nam simplex translatio dici non potest veluti ea qua patera ad deos omnes transfertur [4]: Vesta scilicet dea foci et altaris est [5], geniusque, qui inter deos et homines me-

[1] « Quid Ti. Gracchus Publii filius qui bis consul et censor fuit idemque et summus augur et vir sapiens civisque praestans, nonne, ut C. Gracchus filius eius scriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehensis haruspices convocavit? qui cum respondissent, si marem emisisset uxori brevi tempore esse moriendum, si feminam ipsi, aequius esse censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adulescentem. Feminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus ».

[2] « D. Laelius legatus Pompei, cui prodigium Romae erat factum in lecto uxoris duo angues conspecti in diversumque elapsi . . . in Hispania . . . occisus ».

[3] Cf. Laberius ap. Non. p. 119: « Genius generis nostri parens ». Famulos autem angues ex veterum usu dixi. Cf. Verg. Aen. V 95; Preller *Röm. Myth.* p. 88.

[4] Quamquam ne haec quidem simplex translatio dicenda videtur. Di enim pateris libantes significant se sacrificium accipere eoque frui dignaturos. Libatione enim omnis cena incipit.

[5] In Vesta quod vis eius ad aras et focos pertinebat omnis et precatio et sacrificatio extrema erat. Cf. Cic. d. n. d. 2, 27; Preller *Röm. Myth.* 546, 1. Quapropter etiam sacerdotum eius Vestalium officia ad omnes fere deos omniaque sacrificia publica pariter pertinebant. cf. Preller l. c. Quae Vestae natura in monumentis ita significatur ut in imaginibus duodecim deorum cum Mercurio sacrificiorum ministro coniungatur aut ei respondeat. Veluti in pictura Pompeiana saepius adhibita et in celeberrimo puteali Capitolino.

dius est, pro hominibus sacra deis offert [1]. In candemque sententiam ipsi Lares libantium habitu effinguntur. Itaque ut familia Laribus Genio Vestae sacrificat ita hi familiam domumque et artes domesticas ita tutantur ut deorum maiorum pro hominibus sacris oblatis [2] auxilium inplorent.

Iam de aliis illis deis deabusque quas in his imaginibus praesentes videmus paucis dicam. Volcanus quod Vestae adsit non est quod mireris [3], nec Laribus non apte sociatur is deus quem cum Laribus compitalibus a vicorum magistris cultum scimus [4]. Deinde Venus Pompeiana cui ut urbis ita singularum domuum tutela curae sit, commode in horum deorum societatem intrat [5]. Bacchi autem interventus — is enim sine dubio thyrsifer ille in α est — Vestalium festivitatem significat eodem modo, quo Larum habitu compitaliciorum ludorum hilaritas exprimitur. Tum iure tuo, ut infra exponam, suspicere eum Laribus aliqua consanguinitate propinquum fuisse [6].

[1] Quam Genii naturam mox alia occasione data singulari exemplo aperiam.

[2] Memorabile est eodem eos sacrificii apparatu uti quo ipsi coluntur; cf. praecipue *E*, *T*.

[3] Cf. Henzen 5686: « Augustae Deae Vestae, Augusto Deo Volcano».

[4] Cf. Orelli 1385 sq. Henzen 5684 sq. Deinde Volcani caput etiam in nummo Caesiae gentis, quo Lares praestites repraesentantur, apparet.

[5] Deae illi in β Vestam non sacrificare, ut Schulzius et Jordanus iudicarunt, si nihil aliud doceret, iam deae habitus ostendit. Dea enim ipsa praesens est, non imago cui sacra offerantur.

[6] Propter argumenti necessitudinem typus lucernae a Bartolo 3,2 editae (*C* apud Iordanum p. 319) hoc loco commemorandus est. Quo Victoria Laribus interposita est genii loco, cuius cornu copiae quod etiam haec tenet admonemur. Quam imaginem cur Iordanus p. 320 aperte ad Augusti Lares referendam putet, equidem non intellego; immo si quid video Lares hic militares effícti sunt (cf. Orell. 1665; Henz. 5631), Victoria autem illis sociata aptissime Lari Victori apud Orell. 1673 respondet. — Praeterea monendum est eandem fere lucernam a Gerhardo editam esse *Archaeol. Zeit.* 1852 tab. XXXIX 3.

Hac occasione data de Larum natura disputare non alienum videatur, sed cum de ea mihi quidem non constet — omnia enim e recta vocis originatione quae nondum reperta est pendere videntur — nunc satis habeo coniecturam de historia harum imaginum protulisse. Iordanus igitur contendit p. 337 cf. p. 335 Augustum a compitalium Larum simulacris suorum speciem mutuatum esse, quae deinde norma facta sit ad quam omnia publica privataque Larum monumenta dirigerentur. Quodsi Iordanum sequimur, credere debemus Larum domesticorum cultum prorsus interiisse ut ne Augustus quidem Lares familiares haberet sed recuperaturus eos ad Lares compitales confugeret, tum domesticos Augusti Lares non solum Romae verum etiam in municipiis in aedes privatas inrupisse, ut Larum familiarium ex longo tempore neglectorum locum occuparent. Quae si vera essent, non haberemus certe cur genium illum Laribus in imaginibus Pompeianis interpositum Genium Caesaris esse cum Iordano p. 333 negaremus. Sed non possunt vera esse quae et per se prorsus inprobabilia sunt et disertis scriptorum ante Augustum aut ante eius Larum publicorum restaurationem testimoniis [1] refutantur. Deinde non facile adducimur ut credamus, Lares Augusti ab omnibus pro Laribus familiaribus cultos fuisse, cum uno quidem sed certissimo exemplo doceamur, ne Lares quidem compitales, quales Romae inde ab Augusto habuerunt, a Pompeianis receptos esse. Abest enim ab *A* genius

[1] Quibus cultus Larum domesticorum numquam interiisse probatur. Cf. supra adnot. p. 128 not. 3. Contra publicorum Larum cultus cum ipsis ludis compitaliciis Romae saltem in contemptum et desuetudinem abiisse videntur, ut non mirandum sit ipsum Ovidium in fastis V 129 sqq. Lares praestites cum compitalibus confudisse. De ludis compitaliciis vide iudicia Ciceronis in Pis. 4, 8 et Asconii in h. l. commentum.

Caesaris, quem in urbe vicos omnes cum Laribus coluisse Ovidii auctoritate scimus [1]. Deinde supra vidimus, Laris familiaris mentionem, quae eadem fere aetate fit qua Lares familiares pluraliter dicuntur, cum Genio in imaginibus Laribus sociato ita convenire ut Larum domesticorum illis temporibus cultum non nimis diversum fuisse a Pompeiano facile concludatur. Contraria igitur explicationis ratio ineunda videtur. Non a compitalibus Laribus Augustus suorum speciem mutuatus est, sed ad similitudinem Larum domesticorum qui scilicet et sui erant [2], neglectos compitales effinxit : utque ne ulla diversitas remaneret, pro Genio domestico Laribus privatis sociari solito compitalibus Laribus Genium suum quasi quendam Larem publicum addidit [3]. Iam hoc Augusti institutum si a Genio interposito discesseris non pro novo eius invento habendum est, si quidem Naevi versibus p. 20 Ribb. probatur ne huius quidem aetate Lares compitales alio habitu fuisse quam quo in picturis Pompeianis privatos La-

[1] Quattuor enim homines togati in hac imagine Larum compitalium his sacrificant. Quos vici magistros esse, ipse quaternarius numerus qui vici magistrorum Romae quidem legitimus fuit (cf. Iord. p. 322 sq.), ostendit. A qua pictura imago *C* differre videtur; adest enim togatus ille cornu copiae insignis, quem in hac publicorum Larum imagine non esse nisi genium Caesaris apparet.

[2] Haec enim verborum «Augusti Lares» a nonnullis non intellecta proprietas est ut domesticos Augusti Lares significent. Hos colebant collegia illa Larum Augusti plane in eundem modum quo etiam privatorum hominem Lares ab aliis coluntur. Cf. cultores Larum Sex. Antonii Mansueti et L. Valerii Rufini (Orelli 2411) c. L. M. Nonii M. f. Fab. Arrii Paulini (Orelli 2412), decurio Larum Volusianorum (Grut. 319, 9), decuria Larum Volusianorum (Orelli 1874); Henzen Ann. 1858 p. 18.

[3] Utrum iam Augustus ipse eo progressus sit, ut Lares domus suae pro compitalibus coli iusserit, an paulatim demum Lares Augusti compitalium locum occuparint, equidem non diiudicaverim.

res repraesentatos videmus [1]. Ut Augustus in hac re antiquum morem secutus sit, quo compitales Lares si non natura ac re at certe figura et habitu a privatis diversi non esse viderentur. Recte autem a Iordano observatum est, Lares habitu suo compitaliciorum ludorum festivitatem referre; unde sequitur Larum compitalium imagines antiquiores esse privatorum Larum simulacris, ut quae ab illis speciem suam desumpsissent. Poteris adeo suspicari, antiquissimis temporibus solum Larem familiarem vel Genium domesticum in domibus cultum, deinde Lares compitales in societatem eius adscitos paulatim pro domesticis habitos esse.

Restat quaestio de ipsius Larum habitus origine. De eo quod libant quodque saltant iam supra dictum est: amictus autem eorum genus idem esse quo Bacchus apud Campanam *Opere in plast.* t. 31 indutus est opportune animadvertit Iordanus. Nam persuasum mihi est inter Lares et Liberum arctiorem quandam coniunctionem intercedere, quam eo clare significari puto quod semper vinum libantes effinguntur. Atque adeo in una imagine (α) Bacchum praesentem videmus. Quod confirmatur eis quae de Atto Navio puero narrantur, cum hic Larum aediculam in vinea petiisse eisque uvam maximam obtulisse prodatur [2]. Idem sacrificii genus Tibullus I 10 21 commemoravit. Sed indicasse haec sufficiat: nolo enim audacioribus coniecturis propositi mei fines excedere.

[1] Lares ludentis cum dixit Naevius, saltantes Lares ut recte suspicatur Iordanus, animo eius obversabantur. Cf. Varro de l. l. VI 22, qui de Saliis sic dicit: « circumibant ludentes ancilibus armati ».

[2] Cf. Cic. de div. I, 31; Dionys Hal. 3, 71.

A. Reifferscheid.

Estratto dagli Annali dell'Instituto di corrispondenza archeologica
T. XXXV.